N° 22.

DE

VIA AC RATIONE

QVA

CL. AELIANVS SOPHISTA

IN

HISTORIA ANIMALIVM CONSRIBENDA

VSVS EST,

SCRIPSIT

CAROLVS GOTTLOB KVEHN,

M. C.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO GENEROSISSIMO

DOMINO

FERDINANDO WERNERO

A VELTHEIM

SACRAE CAESAREAE MAIESTATI ROMANAE

A CVBILI

DYNASTAE OSTRAVIAE WEINSANDIAE

ET DING-ELBE ETC. ETC.

MAECENATI OPTIMO MAXIMO

HVNC QVALEMCVNQVE LIBELLVM

PIA GRATAQVE OFFERT MENTE

CAROLVS GOTTLOB KVEHN.

Quamquam nos felici quodam fato in illa incidimus tempora, quibus historia naturalium corporum a viris excolitur, ingenii felicitate beatis, obſeruationis ſolertia ornatis, aliisque omnibus ſubſidiis inſtructiſſimis: tamen, ſi monimenta ſcriptorum, qui huius ſcientiae, adhuc quodammodo in lacte et faſciis verſantis, primi rationem habuere, ſuisque ſtudiis liberalique opera veluti educare, educatamque excolere ſtuduerunt, ſi, igitur, horum ſcriptorum monimenta ob varios errores in illis obuios, rerumque narrationem, nos quidem non amplius nouitate percellentium ſua, neglecta abiicere velimus; magno vereor opere, ne ſimus paulo iniquiores erga horum virorum luculentiſſima merita aeſtimatores. Hiſtoriae enim naturalis campus tam late patebat, perque illum ducens iter, antequam indefeſſa virorum eruditorum opera aperiebatur, apertumque muniebatur, tam aſperum et confragoſum erat, vt non humani, ſed diuini ingenii vir ad omnia illa impedimenta vno quaſi impetu ſuperanda requireretur. Cuius quidem immenſi laboris moleſtias ſi paulo accuratius animo metimur noſtro: lubentiſſime primis naturae obſeruatoribus omnes condonabimus errores, in quos aut neceſſariorum ſubſidiorum inopia detruſi, aut feruido illo, in intimos naturae receſſus penetrandi, ſtudio abrepti inciderunt. Haec enim eſt fere omnis humanae eruditionis fortuna, nec noſtris temporibus, clariſſima bonarum literarum luce colluſtratis, inuſitata, vt, quo ampliores termini aliquam circumſcribant ſcientiam, eo difficilior ſit omnium errorum euitatio. Quae cum ita ſint, haud temere metuendum eſſe videtur, ne ſimus et ingrati-

grati et iniqui, ſi Ariſtotelis, Theophraſti, Antigoni Caryſtii, Nicandri, Oppiani, Aeliani, aliorumque ſequioris aetatis Graecorum ſcripta, quibus illi viri per vniuerſam hiſtoriam naturalem diffundere ſunt conati lucem, vtpote variis deturpata fabulis, tanquam inutilia reiicere, eaque profundis obliuionis tenebris tradere velimus. Equidem igitur, pietatis gratique animi declarandi officio ad ſcribendum inuitatus, non inanem operam in eripienda obliuioni memoria Aeliani, de hiſtoria naturali pro temporis ratione ingeniique modulo ſat bene meriti, collocaſſe videbar, imitatus in hac re exempla aliorum Virorum Eruditorum, et *Paul. Iac. Foertſchii* quidem *de Oppiano, poëta Cilice,* differentis, quam ſcriptiunculam, a Schneidero V. D. diu multumque quaeſitam, ipſe poſſideo: nec non D. *Galliſchii,* qui *de Ariſtotele, Hiſtoriae Naturalis ſcriptore,* nuper ſcripſit, et *Sanderi,* qui nec Aeliani in hiſtoriam naturalem merita [a]) illaudata eſſe voluit.

Priusquam vero in rationem exponendae hiſtoriae naturalis, ab Aeliano adhibitam, paulo accuratius inquiro: audiendum eſſe puto ſcriptorem ipſum, ne fortaſſe plura, quam ipſe praeſtare voluit, ab eo expectemus. Scilicet noluit Sophiſta noſter animalia ordine quodam deſcribere, et quidquid de ſingulis aut e libris hominumque ſermonibus acceperat, aut ſua ipſe cognocerat obſeruatione, vnum in locum conferre, imo vero hoc ſtudioſiſſime vitauit, ne tam ſeuero et rigido ordinis ſeruandi ſtudio lectores, narrationis varietatem amantes, fugaret. Deinde animalium viuendi agendique rationem fere vbique cum hominum moribus vitaeque inſtitutis contulit, illorumque exempla his veluti incitamenta ad bene honeſteque agendum propoſuit. Denique etiam inuentorum

noui-

a) In programmate quodam, noſtra ſcripto lingua, ſub titulo hoc: *Nachricht von Aelians Beytraegen zur Naturgeſchichte.* Continet illud pauca, huc proprie pertinentia, plurima, quae ſub alio quocunque titulo ſcribi poterant eodem iure.

nouitate, veri amore, orationisque suauitate suae historiae commendationem conciliare voluit praestantiamque reliquorum, qui ante eum ingenii vires in eodem campo exercuerunt. Quae quidem omnia, cum in praefatione, tum in epilogo Historiae Animalium ab ipso Aeliano commemorata, nisi iniqui de illius viri labore, in excolenda historia naturali collocato, iudicare velimus, semper ante oculos posita spectare atque sequi debemus.

Iam vero non esse puto, quod, quem supra scripsi ordinem ab Aeliano adhibitum fuisse, eum pluribus exemplis, in medium prolatis, confirmem, cum, quotusquisque illud de animalibus opus vel fugitiuis tantum oculis perlustrauit, is ignorare nequeat, Aelianum, vt quaelibet res sese eius vel animo vel oculis obtulisset, ita et eam, nulla opportuni loci habita ratione, literis consignasse. Hinc et excusandae esse videntur repetita de vna eademque re narrationes. Quam quidem ob causam magnopere miror, Sanderum, Virum Clariss. vituperasse nuper religionem editorum Aeliani, qua ducti hoc de animalibus opus tam indigestum atque inordinatum reliquerunt. Omnino enim non cogitasse videtur Vir Eruditissimus, quantum taedium sit lectoribus creaturus, qui omnia, ab Aeliano relata atque obseruata, ad ordinem reuocare velit, a Linnaeo, aliisque viris, in hoc eruditionis campo regnantibus, constitutum. Quamobrem progredior ad alterum, quod praecipuum historiae suae ornamentum voluit esse Sophista noster. Tanta vero, vt eligendi difficile sit iudicium, locorum multitudo mihi sese obiicit, e quibus luculentissime adparet, Aelianum omnem occasionem studiosissime anquisiuisse, sermonis a brutis ad homines transferendi, et inter vtraque animalia comparationis instituendae. Sic Aetneos pisces cum narrasset ea esse continentia, vt, quamprimum sese cum femella coniunxerint, ab aliis omnibus feminis abstineant: suauiter irridet res publicas, in quibus libidinosi homines le-

ges

ges [b]) grauiſſimas eludere atque perfringere non erubeſcant. In ſequenti ſtatim capite Merularum vagam venerem cum Medorum Perſarumque vita comparat. Quem quidem locum eo lubentius profero, quo iucundior animum ſubit meum recordatio [c]) programmatis ab Eruditiſſimo Moro, *de nexu ſignificationum eiusdem verbi*, nuper ſcripti. — *Libr. I, 20.* matrum erga liberos amorem cum Delphinorum erga ſobolem amore componit, illasque ab his longe ſuperari adfirmat. — *Libr. V, 29.* anſeres nulla vi eo adigi poſſe legimus, vt laurum et rhododaphnen deuorent, quibus adſumtis vitae pericula ſubeant: contra vero homines aut imprudentes aut ſponte ſua a noxio non abſtinere victu. Similis fere coloris ſententia recurrit *Libr. VIII, 9.* — *Libr. VI, 61.* pluribus Lycurgi legem, qua praeceperat, vt minores natu honorem ſenioribus tribuerent et reuerentiam, transfert ad elephantos, qui ſola natura ducti eandem erga ſenio debiles obſervantiam exſererent. Plura nolo congerere in hanc rem exempla.

Iam vero vltimum, e quo ſperabat, fore, vt inſignis hiſtoriae ſuae accederet ornamentum, cernitur in veri amore, inuento-

b) *Libr. I. c. 13.* ȣ̓κ ἀιδȣ̃ντοι Σόλωνα. Scilicet leges Solonis ob acerbitatem, qua in adulteros adulterasque animadvertebant, male olim audiebant. Feminis quidem adulterii reis non amplius licebat ſeſe ornare et fana ingredi: ornatam ſi quis deprehendebat, eius veſtes impune poterat diſcindere, crines compoſitos dilaniare, quin et eam verberare, ita tamen, vt vitae ſemper parceretur. Nec marito, niſi infamiae notam ſibi inurere vellet, adulteram in matrimonio habere permiſſum erat. Vid. *Plutarch. Solon Tom I. p. 198. ed Bryan.* et *Meurſius in Solon. c. 18.* Ad eandem legum ſeueritatem adludit *Heliod. Aethiop. I. c. 17. p m. 60.*

c) *Pag 9.* vbi de voce λαμυρὸς doctiſſime, vt ſolet, diſputat, mentionem quoque iniicit loci Aelianei huius, in quo eadem vox occurrit. — Permutatam vocem λαμυρὸς deprehendit acumen Schneideri ad *Plutarch. de pueror. educat. p. 112* in Aretaei loco de *Sign. Acut. Morbor II, 1.* in quo pro τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν λαμυρώτατα καὶ πιονὰ feliciſſime emendat τὰ λευκὰ τῶν ὀφθ. λαμυρότατα κ. τ. λ. Sic et *Ruhnken. in epiſt. critic. I. p. 57.* in Etymol Magn *ſ. v.* λαμυρὴν τὴν θάλασσαν, ὅιαν πολλὴν, ex Homero λαμυρὴν recte, vt videtur, in ἁλμυρὴν mutauit.

inuentorum nouitate, orationisque ſuauitate. Ac veritatis quidem cultorem fere vbique ſeſe profitetur, dum auctores vituperat, qui ante illum de animalium naturis ſcripſere. Sic Herodotum reprehendit, quod (*Libr. V, c. 10.*) apes Scythiae tradiderit a frigore non infeſtari. In quo tamen vereor, ne d) Aelianus paulo magis, quam iudicem aequum decebat, cupide iudicauerit. Etenim ipſi Herodoto, quae e ſermonibus Thracum, Iſtro proximorum, narrauerat de apibus frigoris patientibus, parum ueritati reſpondere videntur, cum, vt ipſe addit, apes ſint animalcula *δύσριγα h. e.* frigus aegre tolerantia. Eundem ſcriptorem carpit *Libr. XVII, 36.* quod miratus erat, ſolos, qui in exercitu Xerxis erant, camelos a leonibus fuiſſe dilaniatos, nullo iumento alio hominene tunc temporis laeſo. Omnino vero obſeruaſſe mihi videor, Herodotum ſeſe tam parum probaſſe Aeliano, vt vbiuis fere, eius mentione facta, aut contemptim laudaretur, aut cum acerbitate vituperaretur. Nec ipſum adeo Ariſtotelem ſine cenſura dimiſit. Negat enim *Libro VII, 30.* illos auctores recte facere, qui contra Sophoclis, Euripidis, Anacreontis, Pindari, (poterat et addi Callimachi *hymn. in Dian. v.* 100-103. ad quem loc. vid. *Ezech. Spanhem.*) auctoritates adfirment, ceruis femellis nulla eſſe cornua. Cuius tamen ſententiae defenſorem legimus Ariſtotelem de *Part. Anim. c. 2. extr. Hiſt. Anim. IV. cap. vltim.* vt alia loca taceam, quae magna cum diligentia collegit Sam. Bochart. *in Hierozoic. Tom. I. p. 881.* et ex hoc fonte hauſta, ſuppreſſo tamen Bocharti nomine, retulit pro more ſuo e) Abr. Grono-

d) *Conf. Libr. II, 53.* ἐγὼ δὲ ἀκȣ́ω λέγοντος ἐν συγγραφῇ, καὶ μελίττας Σκυθίδας ἆναι, ἐπαΐειν τε τȣ̃ κρύȣς ȣ̓δὲν· καὶ μέντοι καὶ πιπράσκειν ἐς Μυσȣ̀ς κομίζοντας Σκυθὰς ὀυκ ὀθνεῖον σφίσιν ἀλλ' ἀυθιγενὲς μέλι. Ita hunc locum recte exhibent edd. quas conſului: eius tamen emendati auctorem tacent commentatores. Is vero eſt Sam. Bochart. *in Hieroz. Tom. II. p. 505.* vbi in ſuo libro legi monuit ἐθνεῖον, et ἀνθιγενὲς.

e) Videtur omnino haec Abr. Gonouii editio, quae Londini 1743. 4to. prodiit, vtut ſplendidiſſima, tamen Aeliano parum vtilitatis adferre.

Nihil

Gronouius ad Aeliani l. c. Facillime vero intelligitur, Sophiſtam noſtrum, niſi ipſi tale cornutae ceruae exemplum occurriſſet, poëtarum teſtimoniis plus dediſſe, quam veritati. Quamquam vero Ariſtoteles *ll. cc.* ſtrenuusque eius per omnem fere ſuam hiſtoriam ſectator, Plinius aliique ab Aeliani Commentatoribus laudati ſcriptores adfirmant, ceruis feminis nulla eſſe cornua: tamen opinor, non omnino contra naturam fieri, quod interdum ceruae, cornubus decorae, reperiantur. Eius rei teſtem profero ſatis locupletem, Thom. Graeuium, qui ad *Callimach. l. ſuper. laudat.* ſuis temporibus narrat in Cimbrica Cherſoneſo ceruam fuiſſe captam, praegnantem illam quidem, ſed magnis tamen inſtructam cornubus. Quo cum viro conſentit et Harduinus ad *Plin. Hiſtor. Natur. VIII. 32.* qui in Gallia ſimiles ceruas fuiſſe repertas teſtatur. His vero Duumuiris, Herodoto et Ariſtotele, ab Aeliano notatis, adiun-

Nihil enim continet, niſi varias lectiones, e Cod. Mediceo deſcriptas, quae cum Geſneri coniecturis tam ſaepe conueniunt, vt aut ille ipſe codex, aut alius, cum Mediceo ex eodem ductus fonte, a Geſnero adhibitus eſſe videatur: coniecturas, praeter Geſneri iam laudatas, Trilleri paucorumque aliorum: et ieiunas denique laudationes auctorum, qui easdem cum Aeliano res deſcripſerunt. Ego quidem, cum ad hanc de Animalibus hiſtoriam accuratius legendam animum adiicerem: intelligebam, fontes illos ipſos eſſe adeundos, e quibus Aelianus pleraque ſua hauſiſſet, partim vt, quid huic ſcriptori proprium eſſet, animadverterem, partim vt viderem, an ex hac mutua ſcriptorum collatione non nihil vtilitatis redundaret in multa eorundem auctorum loca corrupta. Cum illi enim in deſcribendis animalibus, aliorumque naturalium corporum indole exponenda Ariſtotelem fere vbique ſequerentur ita, vt et ſaepe ipſa eius adhiberent verba, et ſemet ipſos quoque haud raro inuicem exſcriberent: mutuam ſibi operam praeſtant in corrigendis locis, quae librariorum aut negligentia, aut ſtupore, aut etiam emendandi libidine ad nos peruenere corrupta. Exemplo in hac re praeiuit Schneider. *in Peric. Crit. c. 5. p. 133. ſeqq.* Neque vero in his acquieſcendum eſſe videbatur: ſed ſcriptores hiſtoriae naturalis recentiores conferendos quoque eſſe putabam, vt et animalium nomina, noſtris temporibus recepta diſcerem, et quid veri, quidue fabuloſi olim eſſet creditum, intelligerem. An ſic aliquando dignior ſcriptore tali prodire potuerit editio, iudicent harum rerum periti.

adiungere poteram comites f) Hermippum, g) Eudoxum, aliosque, quos tamen, ne nimius ſim in re aperta probanda, de induſtria dimitto. Iam vero non minorem veri amorem in eo prodit, quod, cum, quae a veritate aut probabilitate paululum recedere videntur, narrat, modeſte addit: *ita audiui etc.* Sic h) ex hominum fama acceptum refert in Lybia lacum eſſe feruentem, in quo nihilo ſecius viverent piſces, qui in frigidam immiſſi ſtatim morerentur. Eandem prudenter dubitantis perſonam agit etiam, cum de Scorpii ortu ex Crocodili cadauere, de Cinnamomo Arabiae aue, et de corporis partibus in quibusdam animalibus praeter naturam numero auctis, expoſuit. Quem ultimum locum eo libentius arripio, quo opportuniorem mihi praebet occaſionem, de vita et aetate Aeliani quaedam monendi, quae vel Perizonii, co-

f) *Vid. VIII. 40.* quo in loco Hermippum adfert narrantem, inter Aethiopes eſſe aliquam gentem, cani tanquam regi parentem. De ipsa hac hiſtoriola, fateor, nullum ſcriptorem alium exponentem me legiſſe praeter Plutarchum, a Gronouio laudatum. De Hermippo vero, cum nec Gronov. nec alius quisquam interpretum aliquid attulerit, haec pauca iam ſubiungere liceat. Videtur nimirum is ſcriptor idem eſſe cum illo, cuius meminit *Suidas ſ. v.* Fuit vero libertinus, Béryto ortus, ſub imperatore Hadriano clarus. Scripſit praeter opus illud, *de claris ſeruis*, cuius mentionem iniicit *Suidas ſ. v.* Ἴστρος, multa adhuc hiſtorica.

g) Conf. *XVII, 14.* ἐγὼ μὲν οὐ πεπίστευκα — ὅ φησιν Εὔδοξος, ὑπερβαλὼν τὰς Ἡρακλέους στήλας, ἑωρακέναι ἐν λίμναις ὄρνιθας τινὰς μείζους βοῶν. Videtur hic Eudoxus idem eſſe cum illo, cuius γῆς περίοδον laudat *Strabo*, haud procul ab initio operis ſui, et *p. 581. ed Almelov.* Namque notatur ibidem *Libr. XII. p. 827.* quod fabulis dederit nimiam fidem, hiſce verbis: ἅπερ Ἡρόδοτος καὶ Εὔδοξος κατεφλυάρησαν. Plura in aliud differo tempus.

h) *Libr. XIV. 19.* — Nullibi legi ego quidem de lacu eiusdem naturae, in Lybiae occurrente deſcriptionibus. In *Pompon. Mel. I, 8.* mentio tantum fit *fontis* ſimilis indolis: *Fons*, inquit ille, *media nocte feruet; mox et paulatim tepeſcens, fit luce frigidus; tunc, vt ſol ſurgit, ita ſubinde frigidior, per meridiem maxime riget: ſumit dein tepores iterum; et prima nocte calidus, atque vt illa procedit, ita calidior, rurſus cum eſt media, perferuet.*

piose et accurate de hoc scriptore differentis, diligentiam effugisse videntur. Scilicet non animaduertit Vir ille Doctissimus, Aelianum inter et Philostratum, vitam eius describentem, non conuenire. Aelianus enim narrat *Libr. c. 40.* sese Alexandriae vidisse bouem, quinque pedibus deformem. Quod, si Philostrato fides narranti, Aelianum nunquam conscendisse nauem, mare nunquam expertum, neque Italiae fines egressum fuisse, omnino a veritate abhorret. Nolo vero ad hunc auctorum dissensum inuicem conciliandum a Codicibus expectare auxilium, quae Abr. Gronouii in *praefatione ad Aeliani Var. Histor.* sententia fuit, atque e uaria illa lectione Φιλιανὸς, quam Cod. quidam adfert, colligere, aut vitam illam a Philostrato conscriptam omnino Aeliani non esse, aut, cum multa in eadem tradantur, quae in aliis scriptoribus de nostro Aeliano narrantur, a librario negligente, nominum similitudine deceptο, duas Sophistarum vitas in vnam esse conflatas. Hoc tantum meminisse sufficiat, Philostratum esse hominem fere vbique suspectae fidei, quippe qui, tantum non omnia sua ex hominum sermonibus sese hausisse, nec ipse negat. Eiusdem de Philostrato sententiae iam dudum fuisse cognoui *Henr. Valesium*, *Emendatt. Lib. V, c. 1 - 3.* cuius tamen argumenta, quibus Aeliani aetatem definire est conatus, non omni ex parte grauia et extra omnem dubitationis aleam posita sunt, vti erudite monuit Schneider: V. D. *in Periculo Critic. p. 128.* qui idem ibidem miratur, neque Perizonium, neque Valesium, neque alium quemlibet virum doctum, de Aeliani vita exponentem, vidisse, certam aetatis Aelianeae notam inde peti posse, imo debere, quod Sophista ille multa ex Oppiani poëtae libris in suam de animalibus historiam transtulerit. Quae quidem obseruatio nec parum prodest ad scribendi genus Aeliani floridum illud, et multis poëticis vocibus distinctum, explicandum. Neque vero intactam relinquere volui Sam. Bocharti de auctore historiae animalium, ad Aelianum

num vulgo relatae, ſententiam. Videtur nimirum Vir ille Eruditiſſimus, *Hieroz. Part. I. p. 678.* Sophiſtam noſtrum, qui de animalibus ſcripſit, ab illo diſtinguere, Variae Hiſtoriae auctore. Cui quidem ſententiae quantum ſit tribuendum, adparet, vt alia argumenta taceam, a Perizonio in *praefatione ad Var. Hiſtor.* allata, vel ex orationis genere, in vtroque opere obuio, et ex epilogo hiſtoriae animalium, vbi ſeſe Aelianus depingit talem, qualem nobis eundem propoſuit Aelianum Philoſtratus. Sed ne, dum controuerſiam illam de Aeliani aetate, vita, ſcriptisque, olim inter viros doctos agitatam, proſequor, nimium de via deflectam: dum licet, eo, vnde ſum digreſſus, regrediendum eſſe puto, Cum igitur Aelianus fere vbique ſuum veri ſtudium amoremque praedicet ipſe: miratus ſum ſaepe, qui fieri potuerit, vt ipſius diligentia magnam fabularum multitudinem adhuc ſuae hiſtoriae immixtam relinqueret. Huc refero i) fictam illam apum e bouis cadavere originem: k) vim quandam, futura hominibus praeſagiendi, draconibus inſitam

i) Omnem rem pulcherrime deſcripſit Virgil. *Georgic. IV, 295 — 314.* qui idem pinxit apum ſic naſcentium formam, inde a *v. 308.*

Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Aeſtuat, et viſenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo; mox et ſtridentia pennis
Miſcentur, tenuemque magis magis aëra carpunt:
Donec, vt aeſtiuis effuſus nubibus imber,
Erupere, aut, vt neruo pulſante ſagittae,
Prima leues ineunt ſi quando proelia Parthi.

Quo quidem e loco adparet, vulgatam et vbique fere receptam fuiſſe opinionem illam: apes e cadaueribus boum oriri. Plura in hanc rem a veteribus perperam apibus tributa collegerunt *Sam Bochart. Hieroz. p. 502 - 505.* et quos *Heynius* ad limitem *IVti libri Georgic.* laudauit, *Swammerdam. in Tract. de apibus*, qui Bibliis Naturae inſertus reperitur, et *Reaumur. Hiſtoire des Inſectes. Tom. V.*

k) Vid *XI, 16.* Quidquod e Philoſtrato, quem Bochart. *Hieroz. T I p. 22.* produxit, didici, quondam fuiſſe, qui et illam, futura praedicendi vim ad homines tranſire putarent, carnes draconum comedentes

ſitam:[1]) cantum olorum: ciconias in homines mutatas, et alia, quae, quamuis fabuloſa, olim tamen ſunt ab hiſtoriae naturalis ſcriptoribus credita, et ab Aeliano ſine fictionum ſuſpicione denuo reeocta. At nonne haec hiſtoriae naturalis amantes ab huius ſcriptoris lectione merito deterreant? Equidem quamquam nolo imitari eos, qui, cuius ſcriptoris lectione praecipue delectantur, eum ceteris omnibus praeferre, et ab omnium vitiorum maculis liberum venditare haud dubitant: tamen non video, quare, hac ſola cauſa inducti, ſcriptorem contemnere velimus, cuius repetitam lectionem et iucunditatis et utilitatis haud parum adferre, mihi habeo certiſſime perſuaſum. Atque vero, ſi eandem vbique ſequi rationem animus ſit; quotusquisque tandem ſcriptor, qui a nobis legatur, dignus foret?

Placuit etiam egregie Aelianus variis obſeruationibus, quibus hiſtoriam naturalem auxit ornauitque. In quibus tamen enarrandis iam nunc eo breuior ero, quo magis conſtitui, de illis alio tempore accuratius exponere, quam nuper a Sandero eſſe factum intellexi. Quamquam enim Vir ille Clariſſimus de ſymbolis ſcripſit, quas Aelianus ad maiorem hiſtoriae naturalis culturam contulit: tamen in exemplis, ab illo allatis, ſymbolas vix agnoſco, imo potius adfirmauerim, niſi omnia, pleraque tamen iam ab Ariſtotele, aliisque ſcriptoribus, Aeliani aetatem praegreſſis, fuiſſe obſeruata, literisque conſignata. Sed ne cupide de Viri Eruditiſſimi libello iudicare videar:

1) In hac fabula narranda tam mire variat Aelianus, vt, quae eius ſententia ſit, definire certo vix poſſis. *H. A. XIV, 13.* cygnos vocat Ἀπόλλωνι λατρεύοντας καὶ ᾠδικωτάτους, quos *Libr. V,34.* narrat μελῳδεῖν τινα ἐπικήδειον αὐτοῖς μοῦσαν, ἐφόδια διδόντας τῆς ἀποδημίας ἢ θεῶν ὕμνους, ἢ ἔπαινον οἰκεῖόν τινα. Sed *II, 32.* neſcire ſe profitetur, quid de hoc cygnorum cantu ſit ſtatuendum: et in *Var. Hiſt. I, 14.* negat plane, et ſe et alium quemuis audiuiſſe cygnorum carmen. Ceterum non eſſe omnino vana, quae de cygnorum cantu ſcripſerint veteres, probat S. V. Erneſti ad *Callimach in Apoll. v. 5.*

dear: liceat exempla quaedam proferre, quibus ſententiam confirmem meam. Refert igitur inter noua inuenta Aeliani (noua enim debebant eſſe, quae ſymbolarum nomine inſigniebantur) Sanderus [m]) ſuperfoetationem leporum. At iam dudum ante Aelianum, id quod, puto, nec Virum Clariſſimum latuit, Ariſtoteles idem de leporibus obſeruaverat de *Gener. Anim. IV, 5. p. 1322. Tom. I. ed Laemar.* vbi et cauſae enarrantur, propter quas multae animalium nationes foetus et perfectos et imperfectos vno eodemque tempore in vtero gerant. — Neque vero magis illa [n]) de vſu alarum ſtruthiocameli obſeruatio Aeliano veluti propria vindicari poteſt. Etenim narrant eadem iam Ariſtoteles de *Part. Animal. IV, 14.* Xenophon *Anabas. I, 5. p. 23. ed. Mori*, ad quem locum Hutchinſonus laudauit *Diod. Sicul. II.* de eadem re exponentem. Vid. et Sam. Bochart. *Hieroz. Part. II, p. 245.* Fortaſſe felicior Sanderus fuit, cum ad ſymbolas, quibus Aelianus hiſtoriam naturalem locupletauit, referret illa [o]) de lacertarum vita, etiam poſt diſſectionem ſuperſtite: [p]) de muſcis, aqua ſubmerſis,

m) Vid. *Hiſtor. Anim. II, 12.* φέρει ἐν τῇ νηδυῖ τὰ μὲν ἡμιτελῆ, τὰ δὲ ὠδίνει, τὰ δὲ ἤδη οἱ τέτεκται.

n) Vid. *Hiſt. Anim. II, 27.*

o) Conf. *H. A. II, 23.* vbi ſcripſit lacertas non modo diſſectas vivere adhuc, ſed et partes illas abſciſſas, ſibi inuicem rurſus adpoſitas, coaleſcere. Ex parte mihi videor in Ariſtotele inueniſſe iam hanc obſeruationem. Scilicet *H. A. II, 17. p. m. 876 Tom. I.* narrauit, caudas viperarum refectas renaſci. Quae Aelianus auxit quidem, ita tamen, vt vera miſceret falſis. Negari enim haud poteſt, viperas in partes diſciſſas eodem viuere modo, quo ranae, quibus humana aut crudelitas, aut diſcendi cupiditas cor euulſit: ſiue quo anguillae, quarum partes a ſe inuicem ſeparatae, quin et in aquam feruentem immiſſae motum adhuc exercent. Eſt vero haec vita mere mechanica illa, non autem animalis.

p) Vid. *H. A. II, 29.* εἰ δὲ αὐτῆς ἐξέλοις τὸν νεκρὸν, καὶ τέφραν ἐμπάσοις, καὶ καταθήσοις ἐν ἡλίου αὐγῇ, ἀναβιώσεις τὴν μυῖαν. pro quo Oudendorpius, Thom. Magiſtri auctoritate, actiuam verbi ἀναβιώσεις vocem in hac notione damnantis, reponit ἀναβιώσει pro ἀναβιώσῃ. Ceterum ſolis calore muſcas,

vti

mersis, et solis aut cinerum calidorum calore reuiuiscentibus: [q]) de sede veneni viperarum: quibus addo de [r]) vi medicata sanguinis canum marinorum, [s]) de captura Pelamydum etc. etc. quae, quamuis non omnia veritatis notam prae se ferant, tamen ab Aeliano primo sunt literis tradita. Huc et cuncta illa retulerim loca, in quibus Sophista noster illos, qui ante eum de naturae corporibus exposuerunt, arguit errorum. Sed haec, vti dixi, alii reseruare tempori animus est.

Neque vero minorem laudem consequi studuit Aelianus scripturae ad atticam elegantiam suauitatemque conformatione. In quo quidem studio nec infelici illum fortuna vsum fuisse vel hoc testimonio est, quod Suidas *s. v.* Αἰλιανὸς. eum tradidit ob eloquentiae facundiam suis temporibus μελίφθογγον seu μελίγλωσσον audiuisse. Cuius cognominis, non temere ipsi a suae aetatis hominibus tributi, testes sunt, praeter *Historiam Variam*, et hoc de *Animalibus* opus, epistolae eius XX, quae ex maiori multitudine temporis iniuriae, veluti nauis tempestatis furore distractae fragmentum, solae sunt ereptae. Illae mihi, quidquid attici salis et facundiae a Romano Sophista ne vix quidem expectari poterat, cum honesta verecundia et pudore, in sacerdote haud infimi ordinis praecipue laudando, coniungunt. Illae, quantum ab Alciphronis petulanti saepe et effrena verborum licentia, tantum ab Aristaeneti nimis quaesita et vere Sophistica ingenii adfectatione, et rari in solitique cuiuscunque in oratione captatione, remotae sua solum

vti omnium vermium genera, produci seu potius excludi, docuit iam *Aristot. H. A. V, 19.*

q) Conf. *H. A. V, 31.* Variae fuerunt olim de eadem re sententia. Alii enim venenum viperarum in dentibus, alii in lingua, alii in cauda, alii denique in singulari canali, cuius orificium ad dentium septum pateret, contineri putarunt. vid. Sam. Bochart. *Hieroz. Tom. I. p. 24.*

r) *Histor. Animal.* XIV. *21.*

s) *Ibidem XV, 10.*

ſolum facilitate atque ab omni verborum ornatu abſtinentia placere velle videntur. Sed ne, dum Aeliani laudo ſcribendi genus, cupidi laudatoris ſuſpicionem incurram: iam nunc et ea breuiter attingam, quae in illius oratione vituperanda eſſe mihi videntur. Et primum quidem quamquam in eo ſummopere elaborauit, vt ſeſe ad exempla virorum ſummorum, quos antiqua tulit aetas, componeret et efformaret: tamen ſophiſtarum morem, vbique ad poëtarum loca alludendi, et hiſtoriolas ex antiquorum annalium memoria repetita intertexendi, adeo non mutauit, vt potius teſtimoniis, ritibus legibusque antiquis, narrationibus et fabulis tam varie ſua ſcripta diſtingueret, vt eam ob cauſam merito Schneidero ad *Plutarch. de puer. educ. p. 118.* homo ineptus, veterumque λυχνοβόρος μῦς vocaretur. Exemplis, in hanc rem conferendis, quid immorer, cum nulla fere pagina inueniri potuerit, quin luculentiſſima eius ſpecimina occurrant? Vt tamen aliqua adferam, comparari poterunt, *IV, 7. VI, 3.* IX, *39. XVI, 16. XVII. 35.* ἵνα κρητικῶς λέγω, quod ipſi tantopere placuit, vt illud repeteret *XVII, 40.* et *Var. Hiſt. XIV, 15.* Deinde vero nolo omittere, quae Conrad. Geſnerus in Aeliani oratione reprehendit, quamvis ad hoc probandum Viro Docto vnum tantum ſuccurreret exemplum. Scilicet incuſat Geſnerus Sophiſtam noſtrum, quod, quamuis graecae linguae bene gnarus, tamen ſibi temperare haud potuerit ab immiſcendis orationi ſuae latiniſmis. Adducit in hanc rem *Hiſtor. Anim. VII, 42.* προστάττει ΥΠΕΡ τῶν ἁλιῶν σπογγιαῖς — ἐπισάξαι αὐτὸν, ad quae verba Geſnerus haec: *latiniſmum hoc dixerim, et Aelianum oblitum ſui* ὑπὲρ *pro* ἀντὶ *poſuiſſe. Latinorum enim praepoſitio* pro, *alias quod Graecorum* ἀντὶ, *alias quod eorundem* ὑπὲρ *cum genitiuo ſignificat.* Sed a latiniſmi ſuſpicione et iniuria liberant hanc praepoſitionis ὑπὲρ vim exempla a Doctiſſimo Fiſchero in *Animadu. in Weller. p. 317. collecta.* — Neque vero ſcio, an huc maiori cum iure referendus ſit *Hiſt. Anim. X. 36.* Φίλος ἦν ἄρα ὁ κύκνος πηγαῖς

τε

τε καὶ τενάγεσι, καὶ λίμναις, καὶ ΤΑΙΣ ὅσαι πεφύκασι ὑδάτων ἐπίῤῥοιΑΙ τε καὶ ἄφθονίΑΙ. Quamquam enim me non offendit illud ταῖς abſolute poſitum, quippe quod nec aliis ſcriptoribus inuſitatum v. c. *Homer. Iliad. β. v. 681.*

Νῦν δὲ αὖ ΤΟΥΣ, ὅσσοι πελασγικὸν Ἄγρος ἔναιον.

Plutarch. *de puer. educ. c. 4. p. 16. ed. Heuſing.* καὶ ΤΩΝ, ὅσοι δόξης ἀειμνήςȣ πεφύκασι; tamen hoc mihi videtur a graeca loquendi ratione alienum, quod ſubſtantiuum, relicto caſu articuli ſui praepoſitiui, illum adſumit, quo articulus ſequitur relatiuus. Certe ἀνακολȣθία in his verbis continetur, mihi quidem (tiro enim adhuc in hiſce literarum caſtris milito, in quae tantum animi recreandi cauſa deſcendo) admodum inſolens.

Haec igitur de Aeliano, hiſtoriae naturalis ſcriptore, ſcripſi Lipſiae. a. d. VIII. Calend. Octobres. A. R. S. CIϽIϽCCLXXVII.